Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

non ualeat. quia nimirum maligni spiritus contra
hanc ex praua consuetudine deuictam.
quasi more gygantis pugnat. Sed tamen
plerumque sancta ecclesia post perpetratam culpam.
mentes fidelium ad penitentiam reuo
cat. et peccata operis uirtute spontaneę
afflictionis mundat. Unde bene sub
ditur. Saccum consui super cutem meam. et
operui cinere carnem meam. Quid in sacco
et cinere nisi penitentia. quid in cute et
carne nisi peccatum carnis debet intel
ligi? Cum ergo quidam post lapsum carnis
ad penitentiam redeunt. quasi saccus
super cutem consuitur. et cinere caro ope
ritur. quia culpa carnis per penitentiam
tegitur. ne in districti iudicis examine
ad ultionem uideatur. Infirma autem mem
bra sua sancta ecclesia cum a peccatis retra
hit. atque ad penitentię remedium ducit.
hęc procul dubio fletibus adiuuat. ut ad
recipiendam auctoris sui gratiam conuales
cant. et pro fortes plangit quod non fecit.
quod in membris suis debilibus quasi ipsa
fecit. Unde adhuc bene subditur. Facies
mea intumuit fletu. Facies quippe sanctę ec
clesię sunt hi. qui in locis regiminum posi
ti apparent primi. ut ex eorum specie sit ho
nor fidelis populi. etiam si quid in corpore
latet deforme. Qui nimirum prelati ple
bibus plangunt culpas delinquentium.
seque sic de alienis lapsibus ac si de propriis
affligunt. Et sepe dum quosdam uident
post culpas ad ueniam redire. quosdam uero
in iniquitate persistere. occulta omnipo
tentis iudicia mirantur. sed penetrare
nequeunt. Obstupescunt. quia non intel
ligunt. Unde et apte subditur. Et pal
pebrę eius caligauerunt. Palpebrę enim
recte appellati sunt. qui ad preuidenda pe
dum itinera uigilant. Sed cum occul
ta dei iudicia nec prepositi uigilantes in
telligunt. palpebrę ecclesię caligant. Sed
ut sepe iam dixisse me memini bea
tus Iob sanctę ecclesię typum tenens. modo uo
ce corporis. modo autem uoce capitis utitur.
et dum de membris eius loquitur. re
pente ad uerba capitis leuatur. Unde
hic quoque subiungitur. Hęc passus sum absque
iniquitate manus meę. dum haberem
mundas ad deum preces. Absque iniquitate
autem manus suę pertulit. quia peccatum
non fecit. nec inuentus est dolus in ore
eius. et tamen dolorem crucis pro nostra ini
quitate tolerauit. Qui solus pre omnibus
mundas ad deum preces habuit. quia et
in ipso dolore passionis pro persecutoribus
orauit dicens. Pater dimitte illis. non
enim sciunt quid faciunt. Quid enim di
ci. quid cogitari mundius in prece potest.
quam cum et illis misericordia intercessionis tribu
itur. a quibus dolor toleratur. Unde fac
tum est. ut redemptoris nostri sanguinem
quem persecutores seuientes fuderant.
postmodum credentes biberent. eumque esse
filium dei predicarent. De quo uidelicet
sanguine apte dicitur. Terra ne operias san
guinem meum. neque inueniat locum in te
latendi clamor meus. Peccanti quoque homini